









GVALTERII CORA

BETAE IVRECONSULT. ET SE

NATORIS MEDIOLAN. ORA

TIO. HABITA IN FVNERE

DIVI FRANCISCI. IISFOR

TIAE VICECOMITIS

MEDIOL. DVCIS.

AD. MAGNANIMUM ET ILLUSTRUM  
ARCIS. IOVIS MEDIOLANI PRAEFEC-  
TUM MAXIMIANVM STANPAM. Dñ.  
SVVM. GVALTERIVS CORBETA.

**I**N tanto patriæ nostræ mœrore & squallore. tam  
q̃ ancipiti casu. Tu mihi vnus occurris MA-  
GNANIME & ILLUSTRIS CÔ-  
MES ad quem ego confugerem. cuiq̃ meum hunc  
qualiscunq̃ sit laudandî in funere PRINCIPIS NO-  
STR I laborem dicarem. I S. n. fuisti fidus et lateri  
PRINCIPIS NOSTR I semper assistens  
ACHATES. Qui mihi eius in te reuiuiscens ani-  
mi Spiritû representes. Quiq̃ post militiæ ppria tua  
studia. omnes omnium aliarum virtutum studiosos ample-  
cteris. foues. beneficiis afficis. meq̃ præcipue verbis tu-  
is ita PRINCIPIS NOSTRO principio comenda-  
daueras. vt quicquid deinde in me honoris. dignitatis.  
beneficii fuit collatum. illud me tibi debere profitear. Me  
igitur ipsum. & meas fortunas omnes comedo tibi. Tu  
vero me semper tuum suscipias. Interea PRINCIPIS  
NOSTR I mortem sic lugebimus. vt omnem conso-  
lationem nostram expectemus a CAESARE Quan-  
to. n. est maior cæteris Princeps tanto maiora in te ob  
MAGNUM & EXCELSVM ANIMUM  
TVVM in dies collaturum speramus. Nam cum il-  
lius sis IOVIS ARCIS PRAEFECTVS. quæ  
plusq̃ Capitolina est. tuaq̃ familia nomini semper SA-  
CRI ROMANI IMPERII fuerit deditissima.  
nō dubitamus quin te. nosq̃ tuos omnes benigne de  
more suo excipiat. & liberaliter. VALE.



Vnq̄ satis in vita laudatum diuum  
FRAN. II. SFOR.  
Vicecomitem. Ducem Nostrum  
ILLVSTRISSIMUM  
& EXCELLENTISSI-  
MVM hodie laudamus in fu-  
nere. ANTONI LEVA  
CAESARIS. in Italia Gu-

bernator, & Exercitus Imperator Magnanime, &  
ILL. PRESES & SENATVS San-  
ctissime, vosq; LEGATI. PROCERES;  
MAGISTRATVS Insubriae incliti. Ma-  
iestatemq; Principis tanti nullis honoribus non de-  
bitam. dum magnificare, & more maiorum suorum ad  
diuinos honores Extollere debeo. vires me deficiunt  
vox irraucescit & cadit. totusq; in lacrymas abeo. ex il-  
lius recordatione vulneris, quod infelici Patriae no-  
strae, tam repentina. tam inopinata tam importuna Prin-  
cipis nostri morte hodie inflictum videmus. Quod  
quia recens est vulnus & vt dixi. inopinatum uix. senti-  
mus aut credimus. cum tamen illud altius in pectus  
descendens. auribus. oculis. animis hauserimus.

Certo enim certius est non solum FRANCISCVM  
SFOR. hodie concidisse. sed patriae nostrae patre.  
quietis restitutorem. pacis conciliatorem. Iustitiae. salu-  
tis. reparationis nostrae auctorem. fundatore. sed om-  
nem familiam Sfortiacam. quae tot beneficiis hanc patriam  
affecit. tot facinoribus Italiam illustrauit. tot. coniunctio-  
nibus omnes principes Christianos sibi sanguine adiū

xit, & fide, totum orbem Terrarum suo nomine peragravit, hanc inquam Sfortiacā familiā vnus FRANCISCI morte quassatam corruisse, peneq; extinctā videri. O fatum, O crudele nuncium, O perpetuus dolor.

Hoc adeo me angit, P. C. Adeo dum annalia huius tantæ familiæ mente reuoluo, me cruciat atq; exanimat, vt nullam huius vulneris medelam, aut doloris consolationem inueniam Itaq; si minus q̄oportet, aut debeo recte & apte dixerō, condonate aliquid PATRES & PRINCIPES mei dolori meo, aliquid iuste dolenti cōcedite Ita, n. animū meū fauciauit & cōfecit ille nuncius, qui mihi mandato vestro, PRINCIPIS mei mortem renunciauit simulq; hoc triste ministeriū funeris laudandī demandauit, vt ex illa hora nec corpore nec animo conualescam.

Sed cum duo sint Numina quæ patriam nostram regūt, & recreāt, DEI scilicet OMNIPOTEN, OP. MAX. de cælis Spiritus, in Terris autem eius qui a Deo regitur, CAESARIS potestas, sicut extremo Spiritu FRANCISCÉ SFORTIA verum Christianum agens, nihil eorum omittens, quæ ex nostræ religionis ritu nobis alteram, & meliorem vitam, & certiore promittunt, sicq; in coelum euolans patriam & tuos omnes hic CAESARI cōmendaſti, ita nūc inter Beatissimos Spiritus collocatus apud Deū precare, patriæ tuæ ex ista morte solatiū & quietem, non enim aliter illam speramus, neq; nobis persuadere possumus quin illud testimoniū vocis extremæ pignus nobis fuerit perpetuum, tuæ erga patriam



benevolentiae. Perge, quæso ut cœpisti **FRANCI-**  
**SCE** plus. n. fortasse istic apud **DEVM** precibus  
poteris. quã hîc huius mundi viribus vanis plerum-  
q; & inanibus. Vnde ego quoq; tuî obseruator nomi-  
nis. non ad inanem huius mundi gloriam. sed vt hinc  
exemplum capiant homines virtutis imitandæ. recte  
& honestæ viuendî vereq; immortalitatis consequen-  
dæ. pauca quædam selegi dicenda de te. & tuorum lau-  
dibus infinitis.

Primum enim quis nescit artem bellicam in **DEI** virtu-  
te cōsistere. quæ viribus impiorum hominum & iusti-  
tiam violantium vt resistat. inuenta est. Quorum exē-  
plorum referti sunt omnes sacri libri & historiæ ipseq;  
**DEVS DN. ZEBATH** idest exercituū in-  
uocatur. Hanc artem bellicam sola. hæc familia. si ve-  
ra loqui volumus. nec suis illã laudibus fraudare. post  
excisos Romãos in Italia. retinuit. Docuit. apliauit illu-  
strauit quæ. **VICECOMITVM & SFOR-**  
**TIARVM** Illustrissima propagine. & singulari  
adoptione ab **ANGLO** Aenæ vt aiunt nepote.  
ad hæc vsq; tēpora perdurauit. **ANGLESIVM**-  
q; huius nominis antiquissimum oppidum caput sem-  
per fuit **INSVBRIE**. dum **MEDIOLANVM**  
non vt ciuitas. sed vt media hæc omnis inter duos am-  
nes regio vicatim habitaretur.

Nam & **SFORTIAS** a **MVTIO SCAEVO**  
LAvnico fidei Romanorum exemplo descendisse. &  
in familiam **VICECOMITVM** adoptatos. ne-  
mo non dicit. quod & **IACOBI MVTIAT**  
**TENDVLI SFORTIAE** primum propter

corporis virescognomē adepti. & eius auī MVTII  
nomina in familia retenta attestantur. ATTEN-  
DVLOS vero ab Attenda Prouinciæ Romane op-  
pido dictos fuisse credimus. vbi Dececiū sunt Populi  
quod decem inde Ro. legiones Narbonem vsq; Mar-  
tiū confederint. expulsis rebellibus Gallis, Inter quos  
Martios & fortissimos milites. cum hæc Mutiorum fa-  
milia facile Princeps esset; & domina. per multos an-  
nos Regnauit. donec insurgentibus. qui nomini Ro.  
infensi essent Gallis eieci sunt. Indeque siue in Dacia  
postea regnauerint. siue Cotiniolā statim migrauerint  
incertum est illud vero certissimum. stirpe eos regia  
fuisse MVTIOS Romana origine. ATTEN-  
DVLOS Regni loco. SFORTIAS singu-  
lari militia nominatos.

Quibus antiquitatibus non tam ego assentior propter  
historias. quæ illud affirmant. q̄ propter ingentem & ve-  
re Romanam virtutem. quæ se in huius familiæ viros  
tota effudit. illosq; omni ex parte consumatissimos he-  
roas ac pene semideos in hac reddidit vita. Nam vt qui  
SFORTIAE a quibus Vicecomitibus sint adop-  
tati. dicam. Diboni. qui vir fuit OTHO VICECO-  
MES. qui primus Viperae insigne huic familiæ attu-  
lit. de Alexandri magni stirpe ereptum. maius certe fa-  
tum q̄ Torquati illud aut Coruini augurium. Is enim  
Alexander cum se Iouis filium iactaret esse. ex serpen-  
te matri Olympiadi viso accubere. Numisma illo cha-  
ractere in Galeam adiecto curauit imprimi. quo se pue-  
rum ex ore serpentis. quem Iouem esse credidit pro-  
deuntem designabat. Hoc passim temporibus no-

stris numisma habetur. testimoniū ereptæ ab O-  
 THONE de Macedonum principi galeæ. dum  
 pro pietate apud Solymas ugnaret, & Christo. Bonū  
 enim semper omen, attulit serpens uisus. quod & Epi-  
 daurius Romanos, & i ligno suspensus hebræos cura-  
 uit a peste. qui & seruatorem nostrū I E S V M præ-  
 signabat. antiquum & falsum serpentem de ligno in li-  
 gno decipientem. hanc enim Iouis idest eius qui nos in  
 C R V C E iuuat C H R I S T I figuram Diui Am-  
 brosiū Aede positam religiosissime adoramus. Huius  
 ergo tam sacri Trophæi & insignis memoriæ M A-  
 T H A E V S successor merito illustrauit, magni Ale-  
 xandri cognomen & uitam consecutus. cum tres tan-  
 tum liceat omnibus historiis ob facinora sua magnos  
 nominare A L E X A N D R V M Macedonem.  
 P O M P E I V M Romanum. M A T H E V M  
 M E D I O L A N E N S E M.

Hanc eandem figuram velut ancile quoddam nostrum  
 S F O R T I A E suscipientes auxerunt. coluerunt,  
 Urbis porta. & Arce illius Iouis nomine, quem serpen-  
 tis gerunt figura, ædificata, Arce omnium orbis Terra-  
 rum prima & maxima, ut esset, quæ cum septem mun-  
 di miraculis. sola cōtēderet. Qui uero fuerunt S F O R-  
 T I A E? M V T I V S pater & diuus F R A N-  
 C I S C V S filius. duo belli fulmina. duo in Terris  
 Martes. & disciplinæ militaris authores sub A L B E-  
 R I C O primum comite cunei militiæ fundatore. de  
 inde L A D I S L A O & I O A N N A suprema  
 regni Neapolis cōnestabilis dignitate & principatibus  
 aucti & donati. Alter uero etiam patriæ nostræ pater  
 & bonus D V X. ciuis quintum & centesimum ab

hinc annum noster factus gener. & filius ob heroicas eius virtutes a Divo P I L I P P O in tantum IMPE R I V M adoptatus, maius ne ornamentum acceperit, tantus vir ille. & heros in tantam ascitus familiam an dederit? Manet enim ille singularis omnibus seculis, omnibus historiis, omnibus omnium ætatum hominibus & memoriis, heros, statua dignus & templo, totius Italiæ iubar & lumen splendidissimum, cui Græcum, aut Romanum quem comparem habeam neminem. Ita ille maiestate corporis, dignitate animi, rebus gestis & virtutibus omnibus incomparabilis, admirabilis, incredibilis, non vir sed deus fuit quidam in terris, S E X I L L V S T R I S S I M O R V M F I L I O R V M E T F O R T I S S I M O R V M P R I N C I P V M numero exornatus, huius F R A N C I S C I auus, Cuius simaïorum seriem & res gestas commemorarem, si Auo, Patre, Patruo, Patruale, Fratres, omnibus Insubrum Ducibus iustis, & totius Italiæ luminaribus, sextum hunc S F O R T I A M D V C E M procreatum enumerem ordine, & laudibus describam suis, quædam apud vos notissima, & toti terrarum orbi publicis monumentis & voluminibus celebrata recenserem, quibus & mea vox narrandis & tempus audiendis deficerent.

Tantum dicam ad artem Bellicam, quæ propria fuit huius familiæ, & vnde omnes alii Belli Duces emanarunt, additas fuisse illas ingentes & supremas virtutes, quæ omnes alias suo nomine complectuntur, pietatem viri delicti erga Deum, Iustitiam erga homines, iis, n. qui has duas fuerint affecti reliquas omnes velut appendices

dices quasdam adici diuinus testatus est Plato. Vnde  
vt infinita & incomparabilia DEO IMMOR-  
TALI ab huius maioribus templa ædificata omittam.  
Quæ singularis pietas fuit DIVI FRANCISCI  
aui erga Deum & Patriam: in illo magno Valetudinario  
Diuæ Virgini Consecrato. Urbis construendo.  
redditis augendo: Quod omnium est locorum  
piorum maximum & Pium maxime. Huius pietatem  
secutus ASCANIVS Cardinalis omnium optimus.  
Maximus. alterum Valetudinarium pestis tempore  
Urbis extra moenia necessarium struxit. omnibus  
admirabile sumptu infinito. vt his tribus SFORTIANIS  
cum arce, operibus quatuor antiqua addita templum.  
curia. forum. Nauigium septem numero comple-  
rent miracula. quæ singula mundi illa exequarent. &  
vincerent. Eadem pietate Diuus LVDOVICVS  
pater sacratissimæ gratiarum Virgini templum ædifica-  
uit. tanto sacræ aureæ vestis & conchyliatorum peri-  
stromatum apparatus. quantum nec in Lucullo. nec Da-  
rio aut Xerxe antiqui sunt admirati.

Has easdem maiorum suorum virtutes & maxime pietatem  
imitatus. hic nouus FRANCISCVS templum celeberrimum  
DIVO AMBROSIO tutelari patriæ nostræ patrono. apud Vicum Veneris  
Magnificentia & sumptu ampliauit. ornauit ciuitate  
donauit. vt esset ille bonus pastor qui imminentes quo-  
tidie capitibus nostris hostes ab ouili arceret. & a fini-  
bus propelleret nostris. Iustitiã coluit Auus FRANCISCVS  
tot bene rectis Senatu & Magistratibus constitutis.  
tot sanctissimis legibus promulgatis.  
tot pupillis. viduis oppressis. popularibus de plano ex

auditis. Hanc eandem iustitiam omni studio, omni vi-  
ta FRANCISCVS. II. curauit & coluit, cum  
tales viros lectissimos in SENATVM ascuerit  
& MACISTRATVS. quales omnis Italia ad-  
miratur, & colit, sibiq; Iudices & Iuris Doctores depo-  
scit, ipse vero tanto timore & terrore Iustitiae facinoro-  
sos, & nefarios homines compescuit, vt nunquam tale au-  
ditum fuerit iatronum sicariorum, & concussorum si-  
lentium, omnia sancte & iuste ad maiorum suorum ex-  
empla conuertens.

Artem vero bellicam quoad vires corporis id potuerunt  
efficere nunquam omisit. Quartus decimus hic est an-  
nus ex quo memorabile illud & magnanimum maiori-  
bus suis dignum facinus, fecit FRANCISCVS.  
II. cum patria sua obsidione oppressa Tridentino ab exi-  
lio reditu per medias hostium acies confertissimas, nul-  
lo mortis aut alterius casus periculo territus, mira cele-  
ritate patriae suae subsidio accurrat, sospesq; incolumi ex-  
ercitu in hanc patriam laetissimus venit, omnium ciui-  
um gaudiis & totius populi acclamatione infinita ex-  
ceptus, patriamq; seruauit & ciues, obsidione liberauit,  
ciuica dignus corona; In eadem militia perstitit vere  
populi DVX & ciuium, dum quotidie in hostes ar-  
maremur caput salutis nostrae primus se armatum osten-  
tans, in hostes irruebat, nullum periculum reformidans  
nullum incommodum subterfugit nobiscum, donec  
productis copiis acie iusta cum hostibus fuit pugna-  
tum, victoria illa apud Bicoccham, quae victoriarum om-  
nium caput fuit, & fundamentum egregie parata immi-  
nentibus in tendentibus soli capiti suo & salutis hosti-

bus, se armatum defendens, hostemq; fufum fugatum  
propellens, Cur, n, non vinceret talis vir: tali militia or-  
tus, talibus CAESARIS auspiciis, qualibus, &  
cuius vexillo infœliciter nufq; fuit pugnatum. Iisdem,  
n, CAESARIS auspiciis fretus, & aduenientis  
Armirati & ipsius deniq; Regis impetum non timuit  
sed egregie solitoq; & magno animo tolerata obsidio-  
ne retardauit, donec collectis CAESARIS signis  
victoricibus vires omnes hostiles concisæ ceciderunt,  
euauetût. In qua expeditione, quid sub illo sacro CAE-  
SARIS vexillo rerum gesseris ANTONI LE-  
VA, vnicum militiæ nostri sæculi fundamentum, pa-  
cis & belli ornamentum, quid sustinueris, quid glo-  
riæ immortalis reportaueris, nunc non attinet dicere,  
omnes, n, illud historiæ testarunt omnia omnium poe-  
tarum & oratorum ora & carmina decantabunt, cum  
captiuos Reges & proceres hostium cæsos in trium-  
phis tuis narrent & memorent.

Secuta est deinde FRANCISCVM totius corpo-  
ris infirmitas atq; inualitudo, ob ingentes animi curas  
corporis etiam nimios labores & vigilias, in qua animi  
firmitatem solitam & patientiam morbo aduersante su-  
stinuit maximam, mira q; constantia mortis periculum  
nufq; timuit, in arte obsessus quasi in viculis tentus, eã-  
dem semper fidem erga CAESAREM seruauit,  
vexillum eius tenuit publice, nunq; fortuna aduersa ab  
illo fuit diuulsus, vt omittam admirabiles illas ad mili-  
tes suos in tam duro casu alloquutiones, & pro fide  
CAESARIS a Cæsarianis obsessus ad hortatio-  
nes, quas mira constantia & eloquentia omnibus col-

lacrymantibus habuit.

Vere quidem hoc arguit te ab illo **MVTIO** descendisse. cum tale fidei exemplum ostendisti. Itaque cum artem bellicam æger corpore exercere non posset. animo retinuit. fortissimos quosque honestissimis stipendiis sibi adiungens. singularem in Italia militiam constituit. Ipse vero animo cum fortuna contendens. donec illam vicit & fregit. **CAESARI** Sque Domini sui clementissimi animo persuasit. se illi semper fuisse & fore deditissimum.

Obsidione igitur liber. nullo impellente aut urgente, sola **CAESARIS CLEMENTIA FRETUS. ET FIDEI SVAE CONSCIENTIA:** semet ipsum ad **CAESARIS** pedes profusum Bononiæ obtulit. humanissimeque ab illo diuino **CAESARIS** numine acceptus. se magis magisque in illius amicitia confirmavit & fide. O factum vtriusque liberale & magnanimum tanto **CAESARE** & cæsaris seruo dignissimum. Vnde cum **CAESARIS** consensu. **PONTIFICIS VENETORVM.** & totius denique Italiæ iudicio dignus iudicaretur. Cui non solum ob ius suum. sed ob excelsas & heroicas eius virtutes. **IMPERIUM MEDIOLANI** adiudicaretur in paternum & auitum regnum restitutus. nobis diuturno & crudeli bello exhaustis defessis. pacem. ocium. quietem. omnium bonarum artium disciplinas. suis quasi humeris in patriam reportauit & retulit. animoque cum Deo Composito sibi nunquam vixit. sed rebus publicis. sed patriæ. sed amicis. sed bonis omnibus.

Quo tpe cum omnis Italia conquiesceret, omnia sub eo



eēnt pacata, oīa in eo apparerēt pacis & belli ornāmēta,  
oīa virtutū insignia, oēs illū admirarētur, & opiniōe vir-  
tutis, diuinūq; in eo oris & Spiritus refulgētis maiestate  
venerarentur colerent atq; amarent, eius in tuenda re-  
publica, administranda iustitia, singularem ac pene di-  
uinam prudentiam omnes cōmendarent, obseruarent,  
singuli **PRINCIPES CHRISTIANI** & suspi-  
cerent. Restabat tantum illud, quod ipse animi sui tem-  
perantia & contemptu imperādi saepius recusabat, vt  
aliquod tantæ virtutis simulacrū, & sui exemplū apud  
posterorū relinq̄ret. Vnde cū **CAESARIS** benigni-  
tate & oblatiōe, populorūq; desiderio nuptias illas fœ-  
licissimas, augustissimas tanta populī læticia & pō pa-  
cōtraxisset, quāta nullus vnq̄ Romanus Triūphū vr-  
bi inuexit, dataq; nobis esset **D V X & D V C I S S O-**  
**C I A, CAESARIS SORORIS & REGIS DA-**  
**C I A E F I L I A** ex qua spem diuinæ & magnanimæ  
prolis suscipiēdæ, patriæq; nostræ subsidiū capere pote-  
ramus, pro arctissimo cōiugū & mutuo iter se beneuo-  
lētix vinculo: En morbus ingruēs, & mors tāto patriæ  
nostræ bono inuidēs, vno ictu, veluti fulmine **FRAN-**  
**C I S C V M**, Nuptias, familiā, Patriā quassauit, dissipauit,  
pstrauit. O fallaces hominū curas, Omnia scilicet  
in hoc viro seu potius heroe nimīū fuissent cōsumata  
& perfecta, si tāti se viri & connubiū virtus propagasset  
in posterorū. Quod quasi præsentiens atq; animo præ-  
uidēs, **FRANCISCVS** nihil videlicet esse sub sole  
perpetuū, aut ex omni parte Beatū, mortem tulit, atq;  
etiā appetiuit alacriter, animo, n. totus in **DEVM** con-  
uerso, nihil sibi malī ex morte accidere putauit posse, cū

semper bonum quod esset animo meditatetur. rebusq;  
patriæ afflictis cōponēdis. sedādis studeret. Quodq;  
animo meditās bonū publicū exequi ppter iniuriā tē  
porū nō posset. hoc illū cruciabat. angebat q̄ maxime.  
Memini ego persæpe familiari sermone dicentē. se mo  
ri discupere. nisi sibi aliquādo liceret patriā suā in pristi  
nū aut etiā meliorē statū reponere. Omnia autem ad  
DEVM referebat pietate singulari. animo fortissimo.  
nihil horū quæ sub cælo sunt. metuebat. modo iustitiā  
vt faciebat. coleret. pauperes quibus posset subsidiis su  
stentaret. atq; aleret. seq; nullis huius sæculi illecebris  
aut cupiditatibus inquinaret.

Ita velut vnus ex illis vere Philosophis & sãctis viris. nul  
lius rei cupidus. nullū affectās Imperium princeps li  
cet. & Principū claritate sanguinis. dignitate oris. maie  
state opum. prudētia. Iusticia. eloquentia. rebus gestis  
maximus. egenus. tñ & multarū psæpe rerū idigus vt  
alios sustētaret viuēs migrauit de vita FRANCIS  
CVS. II. nullus cū in eo esset. Luxus. nullæ pompæ.  
nulla dominādi aut opes cumulādi cupiditas. Si qui  
n. aliter illū q̄ virū probū & iustū omnia ad DEVM  
referentem arbitrātur. ODIO DVCVNT VR.  
AVT INVIDIA. longe q; aberrant ab eo cognoscen  
do. Quæ. n. in eo erat prudentia singularis & animi sa  
gacitas. eā illi dederat Deus ad. fraudes hominū & cal  
liditates remouendas. versutias reppellendas. cū bonis  
illā viris & prisci moris hominibus velut in suo genio.  
libētissime deponebat. iuxta illud Seruatoris oraculū.  
omnibus principibus atq; adeo familiæ suæ propriū  
& conueniens dictum. ESTOTE PRVDEN

TES SICVT SERPENTES ET SIM-  
PLICES SICVT COLVMBAE. Habe-  
tis breuī cursu sermonis. P C. p̄strictā PRINCIPIS  
NOSTRI mortē & vitā. VITA autē eius & maio-  
rū suorū. & si nobis videtur extincta. manet illa tamen  
& manebit perpetuū virtutibus suis. rebus gestis. ope-  
ribus. publicis. monnmentis. statuīs . marmoribus. hi-  
storiis. voluminibns. carminibus. numismatibus. æter-  
nitati & immortalitati dicata & cōsecrata. MOR S ve-  
ro huius. quia nos tanto & tā iusto Principe destitutos  
hodie affligit & cruciat. Ad te CAR OLE. V. CAE-  
SAR SEMPER AVGVSTE IMPER A-  
TOR INVICTISSIME HVIVSq; VRBIS  
TVTELARE POST DEVM NVMEN  
ET PRAESIDIVM ad te inq̄ absentē velut p̄ntē  
cōuertimur. Testē hunc qui adest Gubernatorē tuū  
ANTONIVM LEVAM inuocātes fidei ergate  
nostræ. cū nos vicissim testes simus illius diuinæ pru-  
dētiae quod tantā & tā repētina omniū rerū nostrarū  
mutationē & vicissitudinē. tāta facilitate. tāto silētio. tā-  
to omniū animorū nostrorū in te cōpositorū publico  
cōsensu administret. regat. & optime spei repleat. vt mi-  
rū sit omnibus quod quotidie experimur. tantū illum  
pace sapere, atq; ocio quantū bello atq; armis valet. Ad  
te igitur manus has f. dei iam pridē tuæ cōsecratas, quæ  
pro te semper pugnarūt. pugnabūt. hodie supplices tē-  
dimus CAESAR quas pro te anxie ad DEVM pre-  
cantes extendimus. quibus nuper pro salute tua & vi-  
ctoria in ista sacra expeditiōe Africana. uota suscep-  
imus, proq; foelici successu gratulatiōes & supplicatio

nes publicas læti & frequētes habuimus. Cui tuus hic  
cliēs **FARNISCVS** se iam pridem & patriam hanc  
suam deuorat dedicauerat. & cui tuum aduentū expe  
ctans hic sororis filia coniunx altos nobiscū & excel  
sos triūphos parabat. En vides pro lætitiā mœstitiā.  
squallorem & Terrorē Urbis inductū. En pro nuptiali  
bus tædis Carmen ferale **EN PRO TRIUM  
PHO FVNVS PRO TROPHEO CA  
DAVER.** En videbis scio hanc prius & audies, nec  
lacrymas cōtinebis, sed pius, benignus misericors prin  
ceps misereberis nostri. Nostræ te tandem calamitates  
commouebunt nostræ miseræ.

Quodq; **PRINCEPS** hic noster nobis iā inter Diuos  
referendus & cōsecrandus. publica q; sepultura. statua  
& numismate ex senatusconsulto ornandis, extremo  
spiritu suo rogauit, vt faceres. Quod inquam si vixisset  
fuisset omnino factururus, Illud & si spōte tua, extuæ bo  
nitate naturæ facturū speramus, etiā per supplices hu  
ius **FRANCISCI** manes, **PERq; NOS RAM  
ERGA TE ET SAC. RO. IMP. FIDEM.**  
præsta & effice, **CVI DEVS OP. MAX.** omnem  
scelicitatem, & ab omnibus imminentibus malis securi  
tatem nobiscum tribuat. Pro qua impetranda cum  
**FRANCISCVS** hodie supplex ad **DEVM**, preca  
tor accesserit. Nos quoq; deceret supplicationes habe  
re, & preces maximas fundere, Sic. n. iuxta illud

post xii. **CAESARES** auditum.  
Nunc post xii. Vicecomites **DEO ET CAESA  
RE** annuente, omnia bene speramus fore. **DIXI.**



*[The text on this page is extremely faint and illegible. It appears to be a multi-paragraph document, possibly a letter or a report, with several lines of text visible but not readable.]*

SPECIAL

94B12494

XXX

